



# **Beneficia Vetera Et Nova, Divæ Virginis Dittelbacensis**

**Sang, Eucharis**

**Wirceburgi, 1607**

Capvt IV. Non defuisse, qui populi concursum ad sacellum improbarent.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64129)

## CAPVT. IV.

Non defuisse, qui populi concursum ad sacellum improbarent.

**E**Rant tunc viri nonnulli, quibus omni ex parte haud probabatur, rudioris plebeculæ ad D. Matris imaginem concursus, verentes, dolum & fraudem forsitan subesse, simili in causa alibi quoque interdum admissum, non exiguæ religionis contemptu, sed veritatem, temporis progressu, miraculorum magnitudo & varietas comprobauit.

Erat per idem tempus, in vico Summerach, vir lingua procax, Ioannes Hofmann nomine, qui sæminas aliquot religiosas ludebat, quod vano miraculorum rumore inductæ, & refamiliari ac domestica neglectæ, ad imagunculam Dettelbacensem currebant. Sed pergunt DEO duce & auspice. Ille repente corporis viribus & mente destitui, & paulò post boare, & inconditos edere clamores. Aduertis vindicem Deiparam? Vide quoque adiutricem. Diuinam ille sentiens vindictam, veneraturus in imagine DEI parentem, sæminas insequitur quas riserat, & assequitur, quin anteuerit. Ad imaginem ubi peruenit, flexis poplitibus, pacem rogat; & linguæ procacis veniam, valetudine recuperata,

C

impe-



*Valrand.  
Caout in  
libello mi-  
raculorum  
D. Virg.*

impetrat. Et quî non impetret à benignissima Ma-  
tre, quæ adiuuare & indulgere semper parata est.

Pænam, similem ob culpam, ducentis abhinc,  
& amplius, annis, tulit Atrebas quidam, ludi-  
brio habens, virtutes & miracula eximia, apud sa-  
cræ ædiculæ, & fontem Cheruensem, in Han-  
nonia patrata. qui aliquandiu, & oculorum, & lin-  
guæ vsum amisit. Vbi verò, aliorum auxilio, ad  
fontem ductus, menti restitutus est, suam ipse, im-  
piè emissam, in Deiparæ imaginem & nomen, exe-  
cratus blasphemiam (morbi & infortunii totius  
causam) supplex sibi condonari culpam rogauit.  
quam, fauore & meritis Virginis Mariæ, impe-  
tratam, quis dubitare ausit?

## C A P V T V.

Deus Sacellum recens ædifica-  
tum, alijs exornat bene-  
ficijs.

Puer raptus à lupo, redditur.



Acro Sacello, DEVS, Diuæque ornatum  
addunt. Non cogites opus musium: non  
striatas columnas; non parietes macu-